

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Illvstrivm Virorum Epistolae, Hebraicae, Graecae et Latinae, Ad Ioannem Reuchlin Phorcensem virum nostra aetate doctissimum diuersis temporibus missae**

**Reuchlin, Johannes**

**Hagenoae, 1519**

Nicolaus Ellenbog prior monasterii Otthenburensis Ioanni Reuchlin LL.  
doctori S. D. P.

[urn:nbn:de:bsz:31-270838](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-270838)

E P I S. I L L V S T. V I R O R V M A D.

Nicolaus Ellenbog prior monasterii Otthenburensis  
Ioanni Reuchlin. LL. doctori. S. D. P.

**R** Edditus est mihi Cratylus una cum libris tuis uir literatissime, quibus aduersa te ualitudine laborare dolenter accepi. Grauaris tu quidem communi literatorum incommodo. Solet enim plerumque peritura eos qui libris sunt dediti molestare, quod ex Marfilio Ficino platonico illo philosopho de triplici uita opusculum haud codemmodum leges scire potuisti. Deus Opt. Max. a quo omnis medela, faciat ut quamprimum sanitati restituaris, ut nedum mihi aliquando proficere possis, uerum etiam totae ecclesiae catholicae. Quanta enim iactura (citra adulationem loquor) imatura tua mors uniuersae ecclesiae allatura sit, nemo ignorat, nisi literarum ignarus. Rursus uero quantum uita comite sacris libris inuigilans proficere possis dici non potest, potissimum tanta eruditione & linguarum pluralitate pollens. Ego sane ut petis pro te dignissime uir orare quam fidelissime ad deum non desista. Tu uero ubi sanitatem receperis, secularibus posthabitis negociis, ad diuinas eruendas scripturas totus incumbas praecor. Audeo enim hoc mihi polliceri, si eiusmodi te armaueris proposito, sanitatem tibi propediem deo largiente reuerfuram. Vale feliciter. Ex Otthenbura. xii. Kalen. Februarias. M. D. X.

Nicolaus Ellenbog prior Otthenburensis, Ioanni  
Reuchlin Phorcensi. LL. doctori. S. D. P.

**F** Vit apud nos Bacchanalibus his diebus ingenuus uir facundissimusque immo alter Vlysses Dieteganus Vuestersteten, cum quo tibi non parua familiaritas est. Qui sane te sanum & incolumem praedicat, quod profecto nuncium mihi gratissimum fuit, te enim optime ualere uoluptati mihi permaxima est. Deus Opt. Max. faciat ut quamlongissime & uita & bona ualitudine utaris, ut cum patriae tum uniuersae Germaniae utilitati & ornamento sis. Sed & literatis studio sisque omnibus ueluti sydus praefulgidum praclarissimos multiuigae doctrinae tuae radios diutissime effundas. Ea enim de te mihi sententia est, ut tam diu scribas & ingenii tui nobilissimas dotes effundas, quam diu uiuis. Nec tantae tuae sint in rebus agendis occupationes, quoniam bonis libris ingenioque studiis semper incubas, & quamplurima posteris monumenta relinques, quibus te post longa et annorum curricula uixisse testeris. Vereque tunc uiuere incipias, ubi uita functus fueris, sisque in ore omnium hominum oculis sublatus. O te feliciter, qui cum honestate famaque praclarissima & rei pe-